

# CONSTANS SACERDOS.

## CONSTANTIS SACERDOTIS

### TRACTATUS DE PASSIONE B. EMMERAMMI MARTYRIS.

(Ex Pez, Anecdotorum Bibliotheca.)

Cum sacrosancte religionis virtus, jam inde ab origine sui per dilectionem operata, exercitatis per eam sensibus in sanctis ac Deo complacitis viris pacatissimos semper justitiae fructus propagaret: præcipue tamen beatorum martyrum Christi est celebrata agonibus, et gloriis magnificata triumphis. Sed utriusque dilectionis fervore per omnium fidem corda flagrantius rutilante, cum multiplicium gemina propagationum vigoris sui rectitudine ineluctabiliter connixa dilataret: tum superni regis tirocinio militantium, et contemptu mundi glorian-  
tium mentes divinæ charitatis ardor longe incomparabiliter ignivit; et in ejus desiderium præ cæteris omnibus singulariter inflammat. Illi enim Domino, amoris affectu, propinquius cohæserunt, qui ei similimi facti sunt acerbitate passionis. Necesse est enim ut charitatis vinculo se fortius illi colligaverint pro quo sibi neque ad effusionem sanguinis pepercerint. Hujus intuitu sordent terrestria, affectantur cœlestia; vile est omne quod transit, pretiosum quod manet. Cujus adipiscendi gratia in fine carnifex rogatur, ut laniet; tortor, ne parcat; spiculator, ut feriat. Hoc solo contenti, corpus et animam expendere sunt parati. Cujus charitatis igne Apostolus flagrans, cor-  
repto certaminis campo, tripudiabiliter exsultavit, dicens: *Ego non solum alligari, sed et mori paratus sum pro nomine Domini Jesu. Nec facio animam meam pretiosiorem quam me. Cui etiam vivere Christus erat et mori lucrum.*

Hil ergo promptissimi passionum Christi sectatores, et usque ad mortem amatores; hi, inquam, fortissimi athletæ, bellorum cœlestium præsules, sancti Petri apostoli sententia informati, dicentis: *Charissimi, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, spiritualibus armis præmuniti, omni mundana cupiditate expediti, militari disciplina callentes, ante bellum et in bello cuncta experti, stadium sæventis mundi occupantes, ad buccinam evangelicæ præceptionis intenti hostem provocabant; perduellionum audaciam incitabant: excitos terruerunt, pulsatos obtriverunt. Ad extremum ipsi victoriarum gloria ducti, mole vincendi oppetierunt; et ad Regem sum, quo spectatore et adjutore pugnarunt, perenni gloria donati pervene-*

A runt. Illi quondam estimatione hominum miseri, quorum causa judicata est ut impii, gaudiis nunc conjuncti æternis, similes facti sunt Angelis Dei.

In quo excellentissimo genere vincendi beatus martyr Emmeramus, cuius hodie passionis, vel natalis dies cum letabunda solemnitate illuxit, quam gloriosa polleat dignitate, si parum est terrenis proiectibus credere, cœlestium virtutum astrictionibus approbetur. Quæ tanto uberiori fidelí cuique eluent, quanto fidem quæ in ejus pectore flagrabat, ex animo conceperit et opere comprobaverit.

Hic enim per omnium merita graduum, pontificatus honore promotus, et legum Domini perdius pernoxque scrutator, eodemque ferventissimo, quo diximus, divinitatis igne succensus, martyrii palmam toto mentis desiderio suspirabat, Salomone suadente, in æmulationem adductus, carnes suas pro amore Christi expendere; ut qui ad magnam sederat mensam, ipse quoque talia meminerit præparare. Evangelica etiam voce admonitus, *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: hoc beneficium Redemptori, quantum in se fuit; rependere volens, anxiò fluctu animi, nec sine magnarum rerum molitione in hoc urgebatur.*

Natali denique solo patiendi materiam sibi dene-  
gante, collectis viribus hostem idololatram cultor  
veritatis quæsitus egreditur, antiqui patriarchæ per hoc imitatus exemplum, cui divino præceptum est oraculo: *Exi de terra tua, et de cognatione tua: et veni in terram quam monstravero tibi. Hoc curri-  
culo divini prælii præpotens bellator intentus, sic cœlesti moderamine coercitus, necessario desedet, quo minime decrevit: nec ergo progreditur, quo cor-  
ronæ cupido nitebatur. Dissimili causa parilem quidem martyrii, quem sitiebat, adeptus est honorem.*

Nacta vero occasione illud Salomonis dictum implendi: *Eripe eos qui ducuntur ad mortem, cum aut illud mandatum exsequeretur, aut reus in peccatis moreretur: totus in viscera compassionis effusus, et in hoc vere Domini sui imitator effectus, qui aliena peccata transtulit in corpore suo super lignum, misericordum supplicia, quæ pavebant, ipse sustinuit: et crucem Domini per fœdi criminis opprobrium, quod*

in stuprum prolapsi admiserant, venerabilis sacerdos ferre non recusavit.

Quid fratres mei? quod factum huic simile unquam vidisti? Quam gloriam huic martyri et sacerdoti æquiparandam putatis? Elias et Joannes adulteria regum conjugum castigantes, ambo levantur in cœlum; ille per currum, iste per martyrium. Sed hos nimurum levior conditio, minor necessitas urgебat. Nam nec inter stultos quidem desunt, qui multo honestiorem putent causam increpiti, quam admissi incestus. Uterque illorum pro veritate a libidinosis tantum appetebatur: hic autem violatoribus dans facultatem in se transferendi facinoris, uno solum presbytero innocentiae suæ inter mortales teste relicto, elegit suam potius vitam profana ad tempus suspicione commaculari, a Deo autem secretorum conscientia, quo ipse vellet ordine, purgandam: quam noxiорum vitam per diversa tormentorum genera finiri.

Recolens enim Dominum dicentem: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat,* peccantes sibi confessos ad correctionem reservavit: et se ipsum pro eorum mortibus gratissimam Deo hostiam immolari permisit. Irruit super eum funestus lictor, Satanæ ferali percitus rabie; sanctumque Dei antisitem, innocui comitatus fuga desertum abstrahit, juxta quod scriptum est: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.*

Hic ad libitum crudelis bellæ, sacratissimæ Deo hostiæ aries electus toto corpore laniatur.

*Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis  
Auribus, et truncas miserando vulnere nares:*

Cerebrum quoque lumine sapientiæ semper irradiatum oculorum luce privarunt; cum illi interior acies animi etiam mundano sole vibrantior, indefectiva status sui claritate luceret. Linguam quoque coelestis oraculi ministram, ex invisibili fontis arcane, juxta quod ratio censuerat, nova proferentem et vetera, de sancti oris camera pestifer chirurgus radicitus evellit. Insanus furor, nusquam pertractans, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam; et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum

**A** est. In ipso etiam sexu, scilicet artibus in illo nor pudendis, inconsiderata ferocitas perversa, prob dolor exercuit judicia.

Sic, Christe, tibi militantium virtus, gregis tu sacerdos et hostia, clypeo sufferentia præmunitus, te astante et omnia vulnera ejus, tuæ causa dilectionis inficta numerante, centenæ martyr coronæ angelica pompa subiectus, triumphorum gloria exaltatus, cœlestem aulam ascendit; completo in eo quod Salomon admonet: *Non verearis usque ad mortem justificari; quia merces Dei manet in æternum.* Et Psalmista: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur in æternum.* Itemque apostolus Jacobus: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

**B** Sit igitur Roma celebris Laurentio, Hierusalem Stephano inclita, Carthago nobilis Cypriano, Smyrna Polycarpo, Hispania illustris Cucuphathe magno: nostra autem Ratispona mirifice in sacerdote et martyre suo gaudeat Emmerammo; non minus gratiæ beneficium ab hoc sperans patrono quam et earum quælibet a suo indulgentissimo parente.

Referimus ergo tibi grates in honorem Divinitatis, o terque quaterque felix et beatissime præsul, cœlo terraque honorabilis: cuius inter omnes martyres causa exstitit singularis, omni poena molestior, omni exquisita tortione crudelior. Non enim poena martyrem facit, sed causa. Hæc tibi nec Stephani sanguinem, nec Laurentii flamas, neque rogum Polycarpi, non Thebeæ legionis triumphum, non denique omnium athletarum Christi certamina prætulit. Toties enim a Rege tuo es coronatus in cœlis, quoties in tuo sanctissimo corpore membrorum mutilatus es truncatione. Cujus in humilitate sublatum est judicium, qui sævientem tyrannum placide ovis instar pertulisti; carnificum iras quietissima patientia tolerasti. Tibi ergo, sanctissime præsul, assistentes, et in hac die sacratissimæ passionis tuæ utcunque laudum vota humili servitio persolventes, cœlestis domo benedictionis invisere digneris; tuorum peccata excusans, et vitæ nostræ moderamen apud ipsum misericordiæ fontem assidua intercessione disponens

## GARNERIUS ABBAS.

### <sup>2</sup> LEGATIO AD REGEM AISTULPHUM.

(Morin, *Histoire de l'origine et des progrès de la souveraineté temporelle des papes.*)

Le pape Etienne III, pressé plus vivement que jamais par le roi des Lombards, n'avait plus d'espérance qu'en la valeur et en la piété des Français. Il écrivit donc, au commencement de ces nouveaux

**D** troubles, au roi Pepin et à ses enfants, pour les avertir de la perfidie d'Aistulphe, leur exposer les outrages qu'il faisait tous les jours aux Romains, et pour les supplier principalement de le contraindre

\* Morinus Gallicanam versionem tantum nobis servavit orationis Garnerii abbatis ad regem Aistulphum, nec de fonte ex quo hanc orationem excepérat men-

tionem fecit. Illam igitur in idiomate eodem ac Morinus recudendam putavimus.